



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117786**

§. 50. Theodosii Clementia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

§. L.

Sæculum IV.  
A. C. 394.*Theodosii Clementia.*

Theodosius duobus Rebellium Principibus, Eugenio, & Arbogasto sublatis, cæteris omnibus ignovit. Inimicorum suorum liberi in Ecclesiam confugerant, qua ipse occasione arrepta, eos in Religione Christiana educari præcepit; bona paterna non abstulit, sed Dignitatibus quoque auxit; nemini post victoriam *Ambr.ep.61.* privatas injurias ulcisci licuit. Scripsit ad S. Ambrosium, ratus, ideo discessisse, quod suas a Deo derelicti res pessimo loco stare credidisset; at eidem Imperatoris litteræ Mediolani redditæ sunt, quo initio Augusti redierat. Monebat Imperator, ut pro concessa Victoria Deo gratias ageret. S. Ambrosius epistolam ad Ecclesiam detulit, & super altare posuit; ubi deinde Sacrificium obtulit, (\*) manu tenebat, ut per os suum Imperatoris fides oraret, & epistola pro oblatione esset. In litteris responsoriis Imperatorem rogat, ut reis parcat, præsertim illis, qui ante hanc culpam nihil peccaverant. Et aliam epistolam scripsit post paucos dies, *ep. 62.* quam transmisit per unum Diaconorum suorum, nomine Felicem, qui postmodum

(\*) Verba: *ubi deinde Sacrificium obtulit.*  
Interpres Protestans omisit.



**Sæculum IV.** dum Episcopus Bononiensis fuisse creditur, in ea pro illis, qui ad Ecclesiam confugerant, veniam rogat; Imperator Joannem Notarium, & Tribunum, postmodum Prætorio Præfectum, misit, qui eis vitæ securitatem præstaret; tum S. Ambrosius ad Imperatorem Aquilejam veniens, plenam reis indulgentiam facili negotio obtinuit. Imperator ad pedes S. viri accidit, agnoscens, quod ejus meritis, & precibus fuisset servatus.

S. Ambrosius Mediolanum rediit, quo & Theodosius die sequenti advenit. A participatione Sacramentorum abstinuit, ob inimicos suos in bello, licet justissimo, occisos, & quidem tamdiu, donec Divinæ Gratiæ testimonium in adventu liberorum suorum accepisset. S. Ambrosius hanc Theodosii modestiam refert, & laudat, quam suo consilio eidem suggestisse credibile est. Hi liberi Imperatoris, quos in Italiam vocavit, Honorius, & forte soror ejus Placidia fuisse credi debent, nam Arcadius Constantinopoli remansit.

Postquam advenerunt, eos Theodosius in manus S. Ambrosii tradidit, ratus, meliorem custodem inveniri posse neminem.

Sciens haud multum vitæ tempus secundum Joannis Ægyptiaci vaticinium sibi superesse, Imperium in duos filios divisit, Orientem Arcadio destinavit, ubi ipse diu rerum potitus fuerat, & Ruffinum dedit,

*A. C. 394.*

*Paul. vita.*  
*n. 37.*

*n. 32.*

*de ob. Th.*  
*34.*

*Ruff. II. c.*  
*ult. Philost.*  
*II. c. 2.*

*Socr. V. c.*  
*c. 26. Paul.*  
*n. 32.*

*Zof. lib. 4.*  
*p. 779.*



dedit, cujus consiliis uteretur. Occi-  
 dentem Honorio assignavit, nempe Ita-  
 liam, Hispaniam, Galliam, Africam, &  
 Illyricum Occidentale; qui vero, quam-  
 diu filius minori ætate esset, Imperium  
 administraret, Stiliconem constituit, cui  
 Neptem suam in matrimonium dederat.  
 Dum Theodosius in Italia versabatur, Ro-  
 manos Senatores hortatus est, ut relicta  
 veteri Superstitione, amplecterentur fi-  
 dem Christianam, quæ ab omnibus pec-  
 catis liberaret; responderunt; se vero  
 Cæremoniis renuntiare non posse, qui-  
 bus urbs fundata esset, & jam supra mil-  
 le ducentos annos staret, ut transirent ad  
 Religionem, qua suppresso rationis lumi-  
 ne simpliciter, quæ proponebantur, cre-  
 dere juberentur; nec scire, quæ forte  
 fata Romanos manerent, si ingentem Re-  
 ligionis innovationem molirentur. Tunc  
 Theodosius eos scire jussit, Sacrificiorum,  
 aliarumque cæremoniarum sumptus æra-  
 rio publico maximo oneri esse, quæ pe-  
 cuniæ alendo militi melius impenderen-  
 tur. Senatores in sententia perstiterunt,  
 sed frustra; itaque cessarunt Sacrificia,  
 cæremoniæ profanæ neglectæ, ejecti Deo-  
 rum Sacerdotes utriusque sexus, templa  
 omnia ab hominibus deserta. Hæc Zo-  
 simus refert, quæ urbi Romæ ruinam at-  
 tulisse arbitratur.

Dum

Sæculum IV.  
A. C. 394.

Theodosius.



Sæculum IV.

A. C. 394.

*Theod. V. c.*  
23.

Dum hac ultima vice Theodosius in Italia commoratur, Occidentales novum conatum adversus Flavianum Antiochenum adhibuerunt, quærentes, quod hujus Episcopi Tyrannidem Imperator non comprimeret. Respondit Theodosius: *edicite! de quo Tyrannidis genere Flavianum accusetis? ego Flavianus ero, ego causam ejus agere in me suscipio!* & ipsis dicentibus, se contra Imperatorem judicio contendere non posse, hortatus est, ut impostero ad reconciliandas Ecclesias, & extinguendas inutiles contentiones animum adjicerent. His Theodosii monitis Occidentales cessere, nec eos exinde contra Flavianum ad Imperatorem querelas detulisse scimus. Certe Oriens, Asia, Pontus, Thracia, & Illyricum Flaviano favebant.

§. LI.

*Concilium Constantinopolitanum.**Soz. VIII.*  
6. 17.

Eodem anno Flavianus Concilio Constantinopolitano interfuit, cujus occasio hæc fuit: Ruffini, Prætorio Præfecti, qui tunc Orienti præerat, jussu Palatii, & magna Ecclesia ædificata, in oppido prope Calcedonem, quod quærens dicebatur, & deinde ab ipsius nomine Ruffinianum dictum; Ecclesia Græce *Apostoleion* appellata, eo quod in honorem SS. Petri, & Pauli esset erecta. In hanc